

divinam motionem, et elevationem.

XXII. Secundo probatur conclusio, nam posita tali divina motione in quolibet instrumento supernaturali salvatur optime quomodo instrumentum, verbi gratia, humanitas constituatur prius natura in ratione instrumenti in actu primo antequam in actu secundo operetur (ut diximus secundo notabili) ergo hæc sola divina motio est in instrumento ponenda.

XXIII. Confirmatur, quia in aliis instrumentis naturalibus, ut puta serra, calamo, etc. non videtur quod artifex virtutem aliquam permanentem, aut qualitatem transeuntem ponat, sed solam motionem artificiosam; ergo idem erit dicendum in instrumentis ordinatis ad effectus supernaturales.

SOLVUNTUR ARGUMENTA, QUÆ PROBANT VIRTUTEM INSTRUMENTALEM NON ESSE MOTIONEM.

XXIV. Primum est ex Suarez disp. xxxi, sectione vi, quia hæc motio divina a nobis posita in conclusione, est quid imperfectius omni qualitate supernaturali; ergo non potest tribuere vim activam ipsi humanitati ad causandam gratiam, nec ad patranda miracula. Probatur antecedens, quia motus ille, vel erat contactus per manum, vel saliva, vestes Christi, aut aliquid hujusmodi; hæc autem nihil reale intrinsicum ponebant in corpore Christi nisi relationem propinquitatis ad aliud corpus, aut motum localem, et aliquid novum ubi, cum quo conjungi poterat aliqua alteratio, quæ utique omnino accidentaria esset ad faciendum miraculum: sed omnia hæc insufficientia sunt, et improporcionata ad effectum supernaturalem

producendum; et similiter modus linguæ quando loquebatur, et multo magis motus interior intellectus, aut voluntatis imperantis miracula fieri, nam si erant naturales, clare patet esse improporcionatos; si vero sint procedentes a supernaturali principio, ut charitate, etc. tales non sunt activi physice in externam materiam, cum sint pure immanentes; ergo non potest dari quod motio illa passiva instrumenti sit ratio, qua instrumentum constituatur in ratione talis in ordine ad patranda miracula.

XXV. Confirmatur, nam humanitas Christi existens in sacramento altaris causat gratiam instrumentaliter eodem modo, atque existens extra sacramentum; sed prout est in sacramento altaris non causat gratiam per aliquam motionem Dei: ergo nec etiam extra sacramentum. Probatur minor, quia cum ibi sit indivisibiliter, nequit per se moveri localiter, neque motu alterationis. Isti namque motus requirunt subjectum extensum; ergo virtus, qua extra sacramentum causat instrumentaliter gratiam humanitas Christi nullatenus potest esse motio divina, sed aliquid aliud superadditum.

XXVI. Respondetur distinguendo antecedens; si enim motio illa humanitatis consideretur in ratione entis, sic imperfectior est aliis qualitatibus supernaturalibus, et si materialiter imperfectior effectu per ipsam producto: si autem consideretur in genere causæ instrumentalis activæ habet quamdam excellentiam virtuales supra omnes alias qualitates, et supra effectus ex ipsa secutos. Et est exemplum in naturalibus; certum enim est, quod semen deciduum ab homine si in ratione entis consideretur, inferioris ordinis est, et dignitatis quam homo, equus, aut quodlibet aliud animal;

cæterum si consideretur in ratione virtutis causativæ, sic superioris virtutis est, cum sit causativum substantiæ hominis. Sic dico de motione illa, si in ratione entis consideretur est inferioris ordinis; non autem in ratione principii causativi, sic enim est superior, quia non agit virtute propria, sed virtute principalis agentis.

XXVII. Ad probationem autem antecedentis dico humanitatem Christi omnibus illis modis concurrere ad justificationem, et ad causanda miracula; negamus tamen omnia illa esse insufficientia ad tales effectus producendos, quia quamvis secundum se considerata ex propria virtute sint improporcionata, et insufficientia, tamen per divinam illam motionem in ipsis receptam, proportionem jam habent media elevatione cum effectu producendo, et sufficientiam, ut mota a Deo talia miracula operentur.

XXVIII. Et idem dico de locutione Christi, et volitione ultimo posita in argumento; licet enim volitio secundum se sit actio tantum immanens secundum propriam virtutem, nihilominus virtute Dei potest esse virtualiter trausiens in externam materiam, quia non habet causalitatem in illam per vires proprias, sed per divinam motionem, et virtutem elevantem illam.

XXIX. Ad confirmationem respondetur, quod humanitas Christi si consideretur in quantum existens in sacramento altaris tamquam virtus illius sacramenti, solum habet causare gratiam illam sacramentalem per modum cibi, et potus, qui est proprius effectus sacramenti eucharistiæ; ad illam tamen causandam illo modo movetur a Deo, cum instrumentaliter eam causet. Illam autem humanitas realiter existens in sacramento, causat miracula, et justificationes hominum secundum

quod habet divinam motionem necessario prærequisitam ad instrumentum, quæ quidem motio cum sit omnino alterius ordinis, et superioris ab alteratione, et a motu locali, non indiget subjecto extenso in quo recipiatur, cum in anima separata possit recipi, quæ extensionem non habet; atque adeo tam in sacramento realiter existens, quam extra potest humanitas instrumentaliter physice ad miracula, et justificationem concurrere.

XXX. Secundum argumentum est: Nam ille motus quo humanitas movetur a Deo ad patranda miracula non est motus localis, nec alteratio, aut augmentatio; ergo non datur talis motus. Consequentia patet a sufficienti divisione. Antecedens vero probatur, et quidem quod non sit augmentatio per se notum est; quod autem non sit motus localis in humanitate receptus probatur, quia sequeretur humanitatem Christi modo existentem in cælo non concurrere instrumentaliter ad justificationem, et miraculi, cum non moveatur localiter. Ac tandem quod non sit alteratio probatur, quia in tali casu necessario deberet habere pro termino aliquam qualitatem productam, et receptam in ipsa humanitate, cum motus alterationis ad qualitatem terminetur: hoc autem a nobis impugnatum est conclusione secunda et tertia: ergo non est dabilis motus aliquis in humanitate, quo constituatur humanitas in ratione instrumenti physici miraculorum.

XXXI. Respondetur motionem illam divinam non esse contentam sub aliquo illorum membrorum divisionis motus positæ ab Aristotele proprie, sed esse alterius ordinis; potest tamen aliquo modo vocari alteratio perfectiva, seu effectiva instrumenti, in quo quidem non ha-

bet terminum productum, qui est qualitas gratiæ permanens; hæc enim est in altero subjecto: neque etiam alterum terminum, quia non est talis motio, seu virtus in instrumento permanenter, sed tantum per modum transeuntis in ordine ad effectum præstandum in externam materiam.

XXXII. Tertium argumentum sic: Nam motio ista divina, aut est corporalis, aut spiritualis; neutrum dici potest; ergo. Probatur minor, quoniam si est corporalis, non poterit humanitas constitui per illam in actu primo in ratione instrumenti activi effectuum supernaturalium, cum corporale sit inferioris ordinis ad spirituale, et præterea subjectari non posset in anima; nam forma corporalis recipi non posset in subjecto spirituali. Si autem dicatur, quod est spiritualis, tantum posset subjectari in anima, nullo modo in corpore, cum forma spiritualis in subjecto corporeo subjectari nequeat; et consequenter anima solum esset instrumentum physicum miraculorum, non autem corpus Christi, aut caro ejus, quod est contra sacra Concilia, et sanctos patres asserentes carnem Christi esse vivificatricem; ergo nullo modo ponenda est talis motio.

XXXIII. Confirmatur, quia motio ista recepta in humanitate spectat ad genus passivi; ergo non potest per illam humanitas constitui in ratione physici instrumenti. Antecedens probatur, quia motio ista est passio in humanitate recepta, sicut motus, quo aqua calefit est passio recepta in aqua; ergo pertinet ad genus passivi. Prima consequentia probatur, nam instrumentum, et causalitas ejus spectat ad genus activi, cum sit in genere causæ efficientis; ergo humanitas per illud, quod est generis passivi, qualis est motio divina, constitui nequit in ra-

tionem instrumenti activi causantis effectum miraculosum.

XXXIV. Respondetur virtutem illam constitutam instrumenti tam in humanitate Christi, quam in sacramentis esse quidem entitative materialem, et corpoream, si recipiatur in instrumento corporeo; simpliciter tamen, et absolute spiritualis vocanda est, quia consideratur quatenus est virtus activa communicata a superiori agente spirituali et in ordine ad effectum spirituales.

XXXV. Ad impugnationem, quod scilicet si spiritualis est, non potest recipi in corpore Christi, negatur consequentia, quia quamvis aliqua qualitas permanens spiritualis nequeat recipi in subjecto corporali, bene tamen aliqua motio, quæ solum est per modum transeuntis. Et est solutio expressa D. Thomæ infra quæst. LXII, art. IV ad primum, ubi proposito eodem argumento respondet: « Ad primum dicendum, quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis, et completæ; nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquam effectum spirituales inducendum. » Et adducit exemplum de voce sensibili: « In qua, dicit, est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis in quantum procedit a conceptione mentis, et hoc modo, inquit, est virtus spiritualis in sacramento. »

XXXVI. Quod si arguas: Quia unumquodque recipitur ad modum recipientis; ergo si recipiens illam virtutem est corpus, ipsa non poterit esse spiritualis, respondetur negando consequentiam; habet enim hoc particulare virtus ista, eo quod superioris ordinis est, quod scilicet quamvis spiritualis sit, recipitur in

subjecto corporeo non permanenter, sed solum transeunter ut ait D. Thomas.

XXXVII. Ad confirmationem respondetur negando antecedens, non enim spectat motio illa, vel virtus ad genus passivi, sed ad genus activi, cum ordinetur ad effectum producendum instrumentaliter. Nec huic obstat, quod talis virtus recipiatur passive in instrumento; hoc enim commune est omnibus formis activis, quæ recipiuntur prius natura in subjecto passive se habente in ordine ad earum receptionem, et nihilominus sunt simpliciter qualitates, vel formæ activæ, eo quod ad effectum efficienter producendum ordinantur, ut patet in calore ignis, et aliis.

#### ULTIMA CONCLUSIO.

XXXVIII. Virtus faciendi miracula non est in humanitate Christi permanenter, nec habitualiter, sed solum per modum transeuntis. Hæc conclusio patet ex supra dictis, nam si virtus ista non est qualitas completa, aut incompleta, sed motio, aut elevatio divina, et talis motio tantum est quando actualiter exercetur opus miraculosum, ut diximus in secundo notabili posito post quartam conclusionem; ergo non est in humanitate Christi permanenter, sed solum per modum transeuntis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA, QUÆ PROBANT ESSE QUALITATEM PERMANENTEM.

XXXIX. Arguitur primo ex illo Lucæ VI: *Virtus de illo exibat, et*

*sanabat omnes*: et Luc. IV: *Singulis manus imponens sanabat eos*. Super quæ verba D. Cyrillus ait: « Quod sicut ferrum ignitum recipit calorem ab igne, ita caro Christi recipit a divinitate quamdam virtutem ad sanandum; » ergo virtus illa erat permanens, sicut calor est in ferro ignito. Hoc etiam videntur sonare loca sacre Scripturæ.

XL. Confirmatur primo, nam Christus Dominus operabatur justificationem, et miracula quando, et quomodo volebat, et circa subjecta sibi placita; ergo erat in illo virtus permanens, et habitualis ad talia miracula. Patet consequentia, quia habitibus utimur cum volumus. Antecedens autem probatur ex illo Matthæi VIII: *Domine si vis, potes me mundare*. In quibus verbis satis insinuat miracula solum dependere ex libera voluntate Christi, ita ut illa faceret quando volebat; et hoc etiam ostendit responsum Christi dicentis: *Volo, mundare*: ergo erat talis potestas in Christo habitualiter.

XLI. Confirmatur secundo, quia potestas ista miraculorum tradita fuit humanitati, quasi proprietatis quædam consequens unionem hypostaticam; ideo enim est principalis in Christo, et operabatur auctoritative miracula, sed unio hypostatica est permanens, et perpetua; ergo etiam virtus causativa miraculorum.

XLII. Respondetur, quod illæ auctoritates non sunt intelligendæ de virtute aliqua, quæ inhæreret Christo permanenter ad facienda miracula, sed de virtute, quæ recipiebatur in aliis, nempe de sanitate, et aliis donis, quæ Christus aliis conferebat; dicebatur autem, quod exibat talis virtus a Christo, quia ab illo secundum divinitatem procedebat ut a causa principali, et ab humanitate tamquam ab instrumento;

et ideo dixit ipse quando mulierem sanavit a profluvio sanguinis: *Ego sensi de me virtutem exisse.*

XLIII. Ad auctoritatem autem D. Cyrilli respondetur, similitudinem illam non tenere quantum ad omnia, sed solum quantum ad hoc, quod sicut ferrum calefacit per calorem receptum ab igne, et non per propriam virtutem, aut formam, ita Christi humanitas operatur miracula non ex se, aut ex natura sua, sed ex divina motione tamquam instrumentum divinitatis.

XLIV. Ad primam confirmationem respondetur, quod quamvis Christus Dominus instrumentaliter producebat effectum quando, et quomodo volebat, non tamen hoc proveniebat ex aliqua virtute, aut habitu permanente ad talia miracula, sed ex hoc, quod divina potestas ita præsto erat Christo Domino, ut quotiescumque vellet movebatur actualiter ab ipso principali agente Deo, scilicet non quidem sic, quod hæc facultas divina subderetur voluntati humanæ Christi, sicut habitus subditur humano ingenio ad operationes ejus; sed potius e contrario humana voluntas Christi subdebatur divinitati in omnibus, et divinitas utebatur anima Christi, et humanitate tamquam instrumento conjuncto personaliter. Et ex hoc palet quomodo recte dixerit ille leprosus Christo: *Domine, si vis potes me mundare*, et Christus dederit responsum: *Volo mundare*: denotatur enim in hoc infallibilis assistentia divinæ virtutis ad miracula patranda, quando Christus volebat; non autem denotatur aliqua qualitas permanens, aut habitualis factiva miraculorum.

XLV. Ad secundam confirmationem respondetur negando, quod virtus instrumentalis per quam Christus miracula patrabat, fuerit

tradita humanitati per modum passionis, aut proprietatis consecutæ ad unionem hypostaticam, neque propter hoc auctoritative operabatur miracula, sed quia virtus divina præsto erat ad voluntatem Christi (ut dictum est ad præcedentem confirmationem) et sic quamvis unio hypostatica erat permanens, virtus instrumentalis non erat permanens, quia dabatur actualiter in instanti patrationis miraculi. Verum est, quod humanitas propter unionem habuit hanc excellentiam, ut ad ejus voluntatem virtus divina præstaretur quomodo, et quando ipse volebat miracula patrare; sed aliud est in ipsa humanitate esse permanentem unitam; aliud est, quod ex vi talis unionis illi quasi ex debito congruentiæ, et connaturalitatis præstatur; sicut in sacerdote, quamvis character permanentem existat, virtus tamen instrumentalis ad consecrandum debetur quidem connaturaliter ratione characteris quoties ipse voluerit consecrare; non tamen propter hoc illa virtus est proprietas, vel passio, nec permanens, ut ad sequens argumentum dicitur.

XLVI. Secundo arguitur: Quia voluntas humana Christi est voluntas Personæ divinæ; ergo habet absolutam efficaciam respectu omnium, quæ vult. Rursus: Sed esse non posset illa voluntas ita efficax, nisi haberet illam potestatem absolutam faciendi miracula permanentem, et habitualiter; ergo illam habet.

XLVII. Confirmatur, nam talis virtus si non esset habitualis, et permanens, ideo esset, quia est virtus instrumentalis; sed hoc non obstat; ergo. Probat minor, quia character est potestas, et virtus permanens in anima, ut dicitur infra quæstione LXIII. Et tamen concurrat instrumentaliter ad facienda sa-

cramenta; ergo etiam si hæc virtus miraculorum sit instrumentalis, poterit esse permanens, et habitualis.

XLVIII. Si dicas, quod in humanitate non est talis virtus permanens, eo quod ut instrumentum agit motum a Deo, et non propria auctoritate, atque adeo solum est talis virtus quando actualiter a Deo movetur

XLIX. Contra, quia etiam causa principalis secunda non potest operari nisi mota a causa prima, et tamen hoc non obstante, habet virtutem permanentem, et habitualement ad producendum effectum suum; ergo etiam si instrumentum moveatur a Deo non tollitur quin habeat virtutem permanentem, et habitualement ad producendum miracula.

L. Respondetur, quod voluntas humana Christi non est voluntas Personæ divinæ, sicut est ipsa voluntas divina, sed solum est per unionem, et conjunctionem naturæ, cujus est voluntas, scilicet naturæ humanæ, et ideo non debet habere habitualiter, et permanentem efficaciam absolutam, quæ propria est voluntatis divinæ, sed solum per modum instrumenti conjuncti, et uniti Personæ divinæ. Et ad hoc solum exigitur, quod ab ipsa divinitate tribuatur virtus operativa miraculorum, quando ipsa voluntas humana voluerit.

LI. Ad confirmationem respondetur concedendo, quod ideo non est permanens hæc virtus, quia est instrumentalis, non quomodocumque, sed complete, seu in actu secundo. Ad impugnationem dicitur, quod character non est habitus, sed reducitur ad speciem potentiæ, (ut infra quæstione LXIII, art. II dicitur) est tamen virtus instrumentalis quatenus per illum sacerdos constituitur in aptitudine, ut recipiat virtutem instrumentalem, ele-

vationem, et motionem agentis principalis, et ideo habet modum potentiæ, non tamen est simpliciter potentia. Et etiam habet rationem aliquam instrumentalem, quia constituit instrumentum per modum deputationis ad tale ministerium, et ad recipiendam elevationem, et actualitatem, seu motionem ultimam per quam ministerialiter, et instrumentaliter operatur. De hoc argumento vide infra quæstione LXII, in dubio ultimo ad confirmationem primi argumenti pro primo modo dicendi contra primam conclusionem, et quæstione LXIII, articulo II, dubio II, ad primam confirmationem secundi argumenti, et in toto illo dubio.

LII. Ad replicam de causa principali respondetur ex doctrina data in notabili secundo posito post quartam conclusionem in hoc articulo, quod causa principalis est constituta per propriam formam, ratione cujus in virtute continet effectum, et potest illum producere, et sibi assimilare illum, et solum indiget concursu causæ primæ, ut reducat ad actum. At vero instrumentum non movetur ut operetur virtute propria, sed virtute aliena, quæ est virtus causæ principalis, quæ sibi assimilat effectum; et ideo diversimode valde præmovetur causa principalis, et movetur instrumentaliter.

LIII. Tertio arguitur: Nam talem potestatem miraculorum habitualement, permanentem dari Christo non repugnat, et ex alia parte cedit in magnam dignitatem Christi, ergo in illo ponenda est. Antecedens probatur, quia virtus illa imperfecta per modum transeuntis non repugnat dari, cum de facto communicetur sanctis facientibus miracula; ergo etiam non repugnabit, quod a Deo tribuatur illi virtuti permanenti in subjecto. Consequentia proba-